

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIII - N. 2

2001

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2001

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Litterae Apostolicae Motu Proprio datae quibus Normae de gravioribus delictis	139
Allocutio ad eos qui Conventu Plenario Cong. pro Clericis partem habuerunt	141
Allocutio ad eos qui in Symposio « Ius Ecclesiarum – Vehiculum Caritatis » partem habuerunt	145

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	148
RELATIONES CUM IURIS CANONICIS STUDIOSIS	150
Oratio Exc.mi Praesidis in coetu Synodi Episcoporum	151
Oratio Exc.mi Praesidis in contextu Symposii « Ius Ecclesiarum – Vehiculum Caritatis ».	154

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Responsum ad dubium propositum: utrum Episcopus dioecesanus sacerdotes eiusdem dioecesis obligatione adstringere possit ad admittendas mulieres vel puellas in servitium altaris necne	162
--	-----

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

Responsum ad propositum dubium de validitate Baptismatis apud communitatem «The Church of Jesus Christ of Latter-day Saints»	162
Epistula de delictis gravioribus reservatis Congregationi pro Doctrina Fidei.	163

PONTIFICA COMMISSIONE DE BONIS CULTURALIBUS ECCLESIAE

Ex «Lettera circolare sulla funzione dei musei ecclesiastici»	168
---	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VIII)	190
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio IX)	203
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio X)	226
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XI)	250
NOTITIAE	279
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	281

**COETUS STUDIORUM
« DE MATRIMONIO »**

Sessio X^a
(dd. 11-16 maii 1970 habita)

Diebus 11-16 maii 1970, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Lourdusamy et Bank; et Ill.mi ac Rev.mi Anné, Fagiolo, Quinn, Garcia Barberena, De Clercq, Cremin, Che, Huizing et Leclerc.

Praeterea ad hanc Sessionem invitatus fuit Exc.mus Iosephus Casoria, Secretarius S. Congregationis pro disciplina Sacramentorum.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev.mus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Primae adunationi praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis. Rev. P. Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto munere actuarii.

In praesenti Sessione examinata est schema canonum de impotentia et delibata est quaestio de criteriis generalibus pro recognoscenda forma celebrationis matrimonii.

Sequentes Consultores votum de his quaestionibus paraverunt: Exc.mi Schneider et Bank et Rev.mi Fagiolo, Quinn, Barberena, De Clercq, Cremin, Che, et Leclerc.

Rev.mus Relator schema canonum de impotentia apparaverat.


Adunatio I^a
die 11 maii 1970 – mane habita

Em.mus Praeses salutem dicit omnibus Consultoribus et quaerit num placeat Relatio laborum IX^{ae} Sessionis sive quoad integratatem sive quoad veritatem eorum quae ibi referuntur.

Omnes Consultores positive respondent.

Deinde Em.mus Praeses rogit Rev.mum Relatorem ut proponat quaestiones examinandas.

Rev.mus Relator proponit ut examinentur singuli canones ab ipso redactos, scilicet:



Can. 1081 bis

§ 1. *Qui ob morbum mentis vel ob defectus discretionis consensum matrimonialem elicere non valent incapaces sunt matrimonii contrahendi.*

§ 2. *Qui ob aliquam mentis perturbationem ab usu rationis actu impediuntur incapaces sunt, dum perturbatio perdurat, matrimonii contrahendi.*

Can. 1081 ter

Qui non valent assumere iura aut implere officia matrimonii essentialia, incapaces sunt matrimonii contrahendi.

Can. 1081 quater

Si incapacitas, de qua in canonibus praecedentibus, sit dubia, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum; post matrimonium vero initum, standum est pro eius valore donec contrarium probetur.

Exc.mus primus Consultor censem in can. 1081 bis § 1 haberi aliquam confusionem inter causam et factum incapacitatis, quia dicitur: «Qui ob morbum mentis vel ob defectum discretionis...». E contra dici debet: «qui ob defectum usus rationis vel ob defectus discretionis...».

Quoad duos novos canones complexive sumptos, placeret si materia hoc ordine disposeretur:

1. de defectu usus rationis sive habitualis sive actualis;
2. de defectu discretionis;
3. de incapacitate assumendi vel implendi onera matrimonialia.

Exc.mus secundus Consultor vult ut in distinctis paragraphis sermo sit de morbo mentis et de defectu discretionis quia agitur de vitiis valde diversis. Imo de defectu discretionis forte nihil hic dicendum est, quia talis defectus ordinarie est in iuvenibus usque ad pubertatem, qua adepta iure praesumitur cessasse (can. 1082).

Rev.mus tertius Consultor dicit se plene assentire canonibus propositis a Rev.mo Relatore, qui agunt de capitibus nullitatis iam admissis a iuri-sprudentia rotali. Tamen idem Consultor necessariam censem qualificationem defectus discretionis ut nempe sit «habitualis». Defectus discretionis enim provocari potest ad actum, usu medicamentorum, et non videtur etiam in hoc casu posse statui incapacitatem contrahendi matrimonium.

Contra Exc.mum secundum Consultorem dicit locutionem "discretio iudicii" habere in iurisprudentia sensum stricte iuridicum omnino distinctum a defectibus ob morbum mentis, quia defectus discretionis ab aliis causis pendere potest, ex.gr. ex quadam idea obsessiva, ex quadam neurosi transiente, ex personalitate psychopatica etc.

Rev.mus quartus Consultor reprehendit formulam can. 1081 bis eo quod duas §§ habet quae innuunt aliquam dichotomiam inter defectus habituales (§ 1) et defectus actuales (§ 2); melius est omnia principia in una paragraphe formulare.

Rev.mus quintus Consultor censet canones propositos esse sat longos pro uno eodemque argumento, id est de morbis psychicis. Oportet redactionem brevioriem facere, ut ipse in suo voto proposuit.

Rev.mus sextus Consultor consentit cum eis quae dixit Rev.mus tertius Consultor.

Rev.mus septimus Consultor sequentes animadversiones facit:

1. Placet criterium quo redacti sunt canones; non placet tenor redactionis.

Nam sensus novorum canonum non appetat nisi additis explicationibus redactoris. Sed in lege, non explicationes, sed solum textus canonum habebitur; canones ergo ita perspicui esse debent ut eorum mens legenti facile appareat.

Iam vero, verba quibus diversae hypotheses legales describuntur sunt suo iudicio ambigua. Verba sunt: «*morbus mentis*»; «*defectus discretionis*»; et «*mentis perturbatio*».

Quid sub hisce formulis lateat, qua ratione inter se distinguantur, ei non satis patet.

Sed nec formula quidem can. 1081 ter ei probatur; nempe «*Qui non valent assumere...etc.*». Evidem, qui morbo mentis laborant, non valent assumere onera matrimonialia; qua ratione igitur distinguetur haec hypothesis ab ea de qua in canone praecedenti?

2. In omnibus casibus descriptis effectus signatur idem, iisdemque verbis, nempe «*incapaces sint matrimonii contrahendi*». Quapropter, elegantius omnes casus in uno eodemque canone comprehendendi possent.

3. Inde formulae propositae ita forsitan in melius mutari possent:

Can. 1081 bis

§ 1 *Sunt incapaces matrimonii contrahendi:*

1° *Qui morbo mentis laborant aut afficiuntur perturbationibus mentis transitoriois, ita ut consensum matrimoniale elicere nequeant;*

2° *Qui ob defectus sufficientis discretionis, matrimonialis status gravitatem et obligationes perspicere nequeunt;*

3° *Qui ab oneribus matrimonii essentialibus suscipiendis vel sustinendis animi defectu graviter praepediuntur.*

§ 2. *Si incapacitas de qua in § 1 sit dubia, nec matrimonium est impedendum nec nullum declarandum.*

Rev.mus octavus Consultor censet necessariam esse tantum normam circa incapacitatem assumendi vel implendi onera matrimonialia, quia in hac materia CIC lacunam habet. Nulla vero nova norma statuenda est circa illos qui morbo mentis vel defectu discretionis laborant, quia ad istos casus provideri potest per canones 1081 et 1082 apte recognitos.

Rev.mus nonus Consultor suas animadversiones facit contra propositum can. 1081 bis. Textus propositus, adfirmat, tautologiam continet. Evidem nullum criterium iuridicum novum afferit ex quo deduci debeat quod consensus matrimonialis abest. Etenim quid novi afferit textus in quo dicitur morbum mentis vel perturbationem debere esse talem ut consensus elici nequeat?

Rev.mus Secretarius dicit hic haberi easdem difficultates quas habuerunt codificatores CIC. Ob has difficultates illi tantum principia posuerunt, relinquendo iurisprudentiae et doctrinae applicationes ad casus concretos.

Huic Coetui tamen non licet eandem solutionem sequi, quia nunc habentur indicationes iurisprudentiae et doctrinae quinquaginta annorum. Ex his indicationibus enucleare oportet normam aliquam quae novum caput nullitatis describat, ita ut modo univoco varii casus solvantur. Quando enim disceptavimus de impotentia, vidimus extare seriem defectuum capacitatis qui complexive veniunt sub nomine impotentiae moralis, quique considerandi sunt sub aspectu defectus consensus. Bene tunc fecimus discernentes sic dictam impotentiam moralem considerandam esse tamquam vitium afficiens consensum, tamen viam difficiliorem selegimus quam si eandem quaestionem sub aspectu impedimentorum tractaverimus. Formulae propositae a Rev.mo Relatore admodum vagae sunt, ita ut Rev.mus nonus Consultor merito censeat nullum criterium iuridicum novum illas afferre ex quo deduci debeat consensum matrimoniale abesse.

Hoc novum criterium sane enucleandum est ex recenti iurisprudentia et doctrina.

Rev.mus Relator proponit ut accipiatur formula, proposita a Rev.mo septimo Consultore, tamquam basis discussionis.

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet et ideo discussio habetur de 1º formulae a Rev.mo septimo Consultore propositae:

Sunt incapces matrimonii contrahendi:

1º *Qui morbo mentis laborant aut afficiuntur perturbationibus mentis transitorii, ita ut consensum matrimonialem elicere nequeant.*

In discussione varia conamina novae redactionis formulae fiunt. Ex. gr.:

1. dicatur: «...qui morbo actuali vel habituali...». (Rev.mus septimus Consultor)

2. dicatur: «...afficiuntur perturbationibus mentis actualibus vel habitualibus...». (Rev.mus tertius Consultor)

3. «...qui habitualiter vel actu morbo aut perturbatione gravi mentis ita afficiuntur ut sui compotes non sint». (Em.mus Praeses et Rev.mus Relator)

4. dicatur: «...afficiuntur ut habitualiter vel actu usu rationis careant...». (Exc.mus primus Consultor)

5. dicatur: «Incapaces sunt eliciendi consensum matrimonialem: 1º..., 2º..., 3º...». (Rev.mus quintus Consultor)

Tandem aliqualis concordia habetur circa hanc formulam propositam ab Exc.mo decimo Consultore: «Sunt incapces matrimonii contrahendi: 1º Qui mentis morbo aut gravi perturbatione afficiuntur ita ut matrimonialel consensum, utpote usu rationis carentes, elicere nequeant».

De hac formula crastina die habebitur suffragatio.

Adunatio II^a die 12 maii 1970 – mane habita

Suffragatur utrum placeat necne formula proposita ab Exc.mo decimo Consultore:

Non placet 1; placet iuxta modum 11.

Modi:

1. Exc.mus primus Consultor:
 - a. Praesens canon constet una tantum § de morbo mentis et de perturbatione animi.

Placet 1; non placet 7; abstinent a sententia ferenda 3.

b. Formula ab Exc.mo decimo Consultore proposita ita emendetur: «...ita afficiuntur ut habitualiter vel in actu celebrationis usu rationis careant».

Placet 1; non placet 11.

2. Exc.mus decimus Consultor:

a. dicatur: «Qui mentis morbo aut gravi perturbatione *animi* laborantes...».

Placet 6; non placet 6.

b. dicatur: «...utpote rationis usu carentes in actu celebrationis matrimonii...».

Placet 5; non placet 6; abstinet a sententia ferenda. 1.

c. dicatur: «...consensum *rite* elicere nequeant».

Placet 3; non placet 9.

3. Rev.mus tertius Consultor: dicatur: «utpote usu aut rationis aut liberi arbitribii carentes...».

Placet; 4; non placet 8.

4. Rev.mus octavus Consultor: loco «Sunt incapaces matrimonii contrahendi» dicatur «valide matrimonium contrahere non possunt qui, etc.».

Placet 4; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

5. Rev.mus sextus Consultor: dicatur: «...utpote *pleno* usu rationis carentes...».

Placet 2; non placet 10.

6. Rev.mus septimus Consultor: supprimantur verba «utpote rationis usu carentes».

Placet 4; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

7. Rev.mus nonus Consultor: dicatur: «Sunt incapaces matrimonii contrahendi qui mentis morbo et mentis perturbatione afficiuntur ita ut usu rationis et libero arbitrio careant».

Placet 4; non placet 8.

Cum nullus modus sit acceptatus et unus tantum habeat medietatem suffragiorum, suffragatur denuo formula quae ita se habet: «Sunt incapaces matrimonii contrahendi: 1º qui mentis morbo aut gravi perturbatione (animi) afficiuntur ita ut matrimonialem consensum, utpote usu rationis carentes, elicere nequeant».

Placet 7; non placet 5.

Deinde examinatur 2º formulae a Rev.mo septimo Consultore propostae: «Qui ob defectum sufficientis discretionis, matrimonialis status gravitatem et obligationes perspicere nequeunt».

Primo quaestio fit num haec norma ponи debeat in hoc loco. Nam Exc.mus primus Consultor censem normam transferendam esse ad caput de impedimentis, dum Exc.mus secundus et Rev.mus quintus Consultores censem normam hanc iam contineri in can. 1082, qui, tamen, melius redigi deberet ut clare appareat in eo praeter quam de scientia minima etiam de discretionе agi.

Omnes alii Consultores dicunt necessariam esse normam distinctam a can. 1082, quae bene inseri potest in hoc caput de consensu, ubi iam inveniuntur aliae normae, ex. gr. de matrimonio per procuratorem, quae per se non habent nisi latam connexionem cum consensu.

Ad substantiam eiusdem normae quod attinent, sequentes animadversiones habentur:

a. Exc.mus decimus Consultor et Rev.mus sextus Consultor solliciti sunt de causa defectus discretionis, ideo proponunt ut dicatur: «qui ob gravem defectum psychicae discretionis... (Exc.mus decimus Consultor); qui ob defectum psychologicum discretionis iudicij... (Rev.mus quintus Consultor).

b. Alii Consultores magis attendunt ad naturam defectus discretionis:

1. Rev.mus nonus Consultor censem hic agi de defectu «maturitatis» iudicij.

2. Exc.mus secundus Consultor censem hic agi aequivalenter de defectu scientiae de qua in can. 1082: ideo sufficere posset can. 1082.

3. Rev.mi Secretarius et Relator et Rev.mi septimus et octavus Consultores asserunt discretionem iudicij esse rem diversam a scientia et ideo necessariam esse normam distinctam a can. 1082.

4. Rev.mi tertius et quartus Consultores dicunt quod discretio iudicij plus quam scientiam significat et continet iudicium praticum circa rem determinatam, et, in casu, circa hoc matrimonium.

c. Alii Consultores determinare volunt obiectum discretionis iudicij:

1. Exc.mi primus et secundus Consultores dicunt obiectum huius discretionis esse idem obiectum scientiae minimae de qua in can. 1082;
2. Exc.mus decimus Consultor et Rev.mi septimus et octavus Consultores dicunt obiectum huius discretionis esse «iura et obligationes matrimonii».
3. Rev.mus quintus Consultor dicit obiectum esse «*essentialia iura et onera matrimonii*».
4. Rev.mus undecimus Consultor dicit obiectum esse «consortium matrimoniale».

Ad formulam quod attinet, sequentes propositiones habentur:

1. «Qui afficiuntur gravi defectu discretionis iudicij circa essentialia iura et onera matrimonii» (Rev.mus quintus Consultor).
2. «Qui ob defectus discretionis praepediuntur quominus consortium matrimoniale efficere possint» (Rev.mus undecimus Consultor).
3. «Qui ita discretione careant ut perspicere nequeant iura et obligationes matrimonii» (Rev.mus octavus Consultor).
4. «Qui laborant gravi defectu discretionis seu maturitatis iudicij circa essentialia matrimonii iura mutuo tradenda et accipienda» (Rev.mus tertius Consultor).

Tandem Rev.mus quartus Consultor proponit ut in unico numero agatur sive de morbo mentis, sive de defectu discretionis, hac formula adhibita: «Incapaces sunt matrimonii contrahendi qui mentis morbo aut gravi perturbatione (animi) vel gravi defectu discretionis ita afficiuntur ut consensum matrimoniale, utpote rationis usu vel debito iudicio carentes, elicerne nequeant».

Ex omnibus his formulis Consultores seligunt formulam Rev.mi tertii Consultoris, de qua in proxima adunatione ratio habebitur.

Adunatio III^a
die 12 maii 1970 – vespera habita

Examinatur formula a Rev.mo tertio Consultore proposita, scilicet:
 «Qui laborant gravi defectu discretionis seu maturitatis iudicii circa essentialia matrimonii iura mutuo tradenda et accipienda».

Circa primam partem formulae Rev.mi septimi Consultoris proponit ut supprimantur verba «seu maturitatis».

Suffragatur utrum placeat necne prima pars his verbis redacta: «Qui laborant gravi defectu discretionis iudicii».

Placet 9; non placet 1.

De alia parte formulae «circa essentialia matrimonii iura mutuo tradenda et accipienda» variae propositiones habentur.

a. Aliqui vel ex toto acceptant talem formulam (Rev.mus sextus Consultor), vel, saltem acceptant cum aliqua mutatione:

1. omittatur verbum «essentialia» (Rev.mus quintus Consultor);
2. omittantur verba «mutuo tradenda et accipienda» (Rev.mus quartus Consultor).

b. Quidam Consultores aliam formulam proponunt:

1. dicatur: «circa iura et officia matrimonii propria» (Exc.mus secundus Consultor).
2. dicatur: «Qui laborant gravi defectu discretionis iudicii *ad matrimonium contrahendum requisitae*» (Rev.mus octavus Consultor).
3. dicatur: «Qui ob gravem defectum discretionis iudicii matrimonialis status gravitatem et pondus iurium et officiorum matrimonialium perspicere nequeunt» (Exc.mus decimus Consultor).

De hac formula Exc.mi decimi Consultoris fit suffragatio:

Placet 3; non placet 2; placet iuxta modum 5.

Modi:

1. Exc.mus primus Consultor: omittantur verba «matrimonialis status gravitatem et pondus».

Placet 7; non placet 3.

2. Rev.mus quintus Consultor: dicatur «Qui ob defectum discretionis iudicij momentum matrimonii perspicere nequeat».

Placet 3; non placet 7)

3. Rev.mus quartus Consultor: dicatur «...iudicij essentialia iura et officia perspicere nequeunt».

Placet 4; non placet 6.

4. Exc.mus secundus Consultor: dicatur «...in actu celebrationis perspicere nequeunt».

Placet 2; non placet 8.

5. Rev.mus Relator: dicatur «sufficienter aestimare» loco «perspicere»

Placet 7; non placet 3.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut fiat suffragatio de sua formula ita emendata: «Qui laborant gravi defectu discretionis iudicij circa iura et officia matrimonialia mutuo tradenda et acceptanda»:

Placet 8; non placet 2.

Deinde examinatur 3º formulae a Rev.mo septimo Consultore propostae: «Qui ab oneribus matrimonii essentialibus suscipiendis vel sustinendis animi defectu graviter praepediuntur».

Aliquid Consultores hanc normam exprobrant vel quia est nimis lata et fovet divortium (Exc.mi primus et secundus et Rev.mi octavus octavus et nonus Consultores) vel quia censem tales casus sufficienter resolvi posse per normas de quibus in nn. 1 et 2 (Exc.mi decimus et secundus Consultores).

Ceteri Consultores sustinent opportunitatem et necessitatem huius normae qui revera plures sunt casus incapacitatis assumendi onera essentialia matrimonii: ita nymphomania et satyriasis impossibilem reddit fidelitatem ipsamque obligationem fidelitatis; item plures anomaliae, ex. gr. sexuales ut homofilia, sadismus, masochismus etc., saepe impossibilem reddit vitam coniugalem, ipsumque debitum eandem servandi.

Iamvero talis incapacitas assumendi onera matrimonialia non provenit ex defectu scientiae vel discretionis vel ex morbo mentis sed ex anomalias quae pertinent ad sphæram psycho-sexualem quaeque gignunt quandam moralem impossibilitatem assumendi onera perpetua.

Adunatio IV^a
die 12 maii 1970 – mane habita

Consultores prosequuntur discussionem de norma circa incapacitatem assumendi et sustinendi onera matrimonialia.

Exc.mus primus Consultor dicit sibi, post discussionem heri factam, persuasum habere circa opportunitatem condendi hanc normam, dummodo restringatur ad defectus provenientes ex gravibus anomaliis sexualibus.

Exc.mus secundus et Rev.mus octavus Consultores censem solutionem huiusmodi casuum pertinere ad iurisprudentiam. Iurisprudentia enim iam hos casus resolvit ex principiis quae extant in CIC et melius adhuc resolvabit ex novis normis quas in novum Codicem introduximus.

Rev.mus quintus Consultor dicit solutionem huius quaestionis facile haberi posse si mentio anomaliae sexualis fiat in canone de impotentia.

Rev.mi sextus, septimus, quartus et duodecimus Consultores agnoscunt iurisprudentiam posse per principia reflexa hos casus resolvere, at non vident sufficientem rationem cur de morbo mentis et de defectu discretionis normae peculiares factae sint, etsi ad hos quoque casus iurisprudentia iam providere potuit, dum de anomaliis psychosexualibus nulla peculiaris norma condi debet: manet ergo conclusio: si velimus esse consequentes, hanc aliam normam condere debemus circa morbos psychosexuales.

Rev.mus Secretarius notat solutionem huius quaestionis peculiares difficultates habere eo quod simul defendi debent omnes exigentiae iuris naturalis, de quo nova norma esset aliqua explicatio. Ideo si inveniri potest solutio appropriata (cum opportuna formula canonis) ad exprimendum novum caput nullitatis a iurisprudentia iam admissum, tunc bene erit directa norma de hac re in novo Codice habere; secus melius erit ut etiam in futuro iurisprudentia solvat illos casus ex principiis reflexis.

Rev.mus septimus Consultor, contra Rev.mum Secretarium, censem hic non agi de explicatione iuris naturalis, sed de formalitatibus inducendis iure positivo, quae fundamentum habent in iure naturali. Ceterum cur iudices compelli debent ad faciendas conclusiones indirectas ex aliquibus principiis ad solvendum ex.gr. casum mulieris nymphomanae? Praeterea novum caput nullitatis comprehendere deberet incapacitatem provenientem non tantum ex anomalia sexuali, sed etiam ex anomaliis ordinis psychologici personalitatem anormalem parientibus: haec omnia denominari possent sub una voce «anormalitas psychosomatica», quae iam nota est in hodierna cultura.

Rev.mus nonus Consultor consentit cum Rev.mo Secretario et, contra Rev.mum septimum Consultorem, dicit quod novum caput nullitatis admitti potest tantum si exigitur a iure naturali, secus non posset confici *lex generalis* quae, in hypothesi, esset contra generalissimum ius ad nuptias. Lex enim positiva potest vetare hoc concretum matrimonium, non potest autem dare vetitum generale, nisi id sit ex iure naturali.

Post hanc discussionem fit suffragatio num placeat habere normam de hac materia in hoc loco sub capite consensus:

Placet 7; non placet 4.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit: «(Incapaces sunt matrimonii contrahendi) qui talem gravem anomaliam sexualem patiuntur ut moraliter incapaces sint assumendi ipsas obligationes matrimonii essentiales».

Variae emendationes huius formulae proponuntur, quarum praecipuae hae sunt:

1. omittantur verba «moraliter incapaces» utpote aequivoca, et dicatur «...ut ipsas obligationes essentiales matrimonii assumere nequeant» (Exc.mus primus Consultor et Rev.mus duodecimus Consultor).
2. dicatur: «anomalia psychosexualis» (Rev.mi sextus et nonus Consultores).
3. dicatur: «anomalia psychosomatica» (Rev.mi septimus et octavus Consultores).
4. initio dicatur: «Qui anomaliam psychosexualem tam gravem patiuntur ut...» (Rev.mus septimus Consultor).

Deinde Rev.mus Relator formulam ita proponit: «Qui anomaliam psychosexualem tam gravem patiuntur ut ipsas obligationes matrimonii essentiales assumere non valeant».

Placet 3; non placet 2; placet iuxta modum 5.

Modi:

1. Exc.mus decimus Consultor:

a. dicatur «Qui ob gravem anomaliam psychosexualem, ipsas obligationes etc...».

Placet 2; non placet 5; abstinent a sententia ferenda 3.

b. dicatur «nequeunt» loco «non valeant».

Placet 9, abstinet a sententia ferenda 1.

2. Exc.mus primus Consultor: omittatur verbum « ipsas ».
Placet 8; non placet 2.

3. Rev.mus quartus Consultor:

- a. dicatur « Qui ob gravem anomaliam psychosexualem obligationes etc... ».
Placet 7; non placet 2; abstinent a sententia ferenda 1.
- b. dicatur: « Qui ob *talem* gravem etc... ».
Nemini placet.

4. Rev.mus septimus Consultor: dicatur « anomaliam psychosomaticam ».

Placet 4; non placet 5; abstinet a sententia ferenda 1.

Consequenter formula erit: « Qui ob gravem anomaliam psychosexualem obligationes matrimonii essentiales assumere nequeunt ».

Iterum suffragatur utrum placeat haec formula necne:
Placet 8; non placet 2.

Adunatio V^a
die 13 maii 1970 – vespere habita

Discussio habetur de § 2 novi can. 1081 bis, quae in formula Rev.mi septimi Consultoris his verbis proponitur: « Si incapacitas de qua in § 1 sit dubia, nec matrimonium est impediendum nec nullum declarandum ».

Rev.mus nonus Consultor censet hanc normam esse superfluam, quia iam in can. 1014 statuitur ius in favorem matrimonii.

Sed Exc.mus decimus et Rev.mus septimus Consultores censent normam esse opportunam, quia in § 1 confecta sunt nova capita nullitatis, de quibus inde a limine bene est erroneas applicationes evitare.

Rev.mus quintus Consultor quaerit cur in hac formula posita sit clausula « nec nullum declarandum ».

Rev.mus Secretarius respondit per hanc clausulam praecaveri a dispari illa jurisprudentia quae habita est de can. 1068 § 2, quaeque forte etiam de hoc can. 1081 bis § 1 haberri posset.

Rev.mus quartus Consultor vero censet hanc clausulam « nec nullum declarandum » complendam esse hoc modo: « matrimonium vero iam contractum non est declarandum nullum, nisi de eius nullitate certo constet,

dubio legitime soluto, ab ipsa Suprema Auctoritate si de dubio iuris agatur».

Etiam Rev.mus quintus Consultor vellet ut mentio fieret de dubio sive iuris sive facti («si incapacitas de qua in § 1 sit dubia *sive dubio iuris sive dubio facti*»), favens aliquo modo propositioni Rev.mi quarti Consultoris.

At alii Consultores respondent non esse necessariam neque completiōnem propositam a Rev.mo quarto Consultore, neque mentionem propositam a Rev.mo quinto Consultore. Imo illogicum esset innuere hic possibilatatem dubii iuris in ipso actu quo lex fit, quia id significaret dubitari de principiis quae statuuntur in § 1. Quod autem, post matrimonium contractum, ipsum matrimonium nullum declarari possit quando de eius nullitate certo constet per resolutionem dubii, hoc per se patet et non est necesse quod dicatur in lege.

Instat Rev.mus nonus Consultor ne secunda haec § inseratur in novum canonem.

Rev.mus Secretarius proponit ut fiat suffragatio num placeat confidere normam de modo agendi in dubio:

Placet 4; non placet 7.

Can. 1068, § 1

Sequentes emendationes proponuntur circa textum CIC:

a. Exc.mus tertius decimus Consultor et Rev.mus quartus Consultor petunt ut dicatur: «*Impotentia coeundi*».

Fere omnes Consultores concordant circa opportunitatem huius additionis ex eo quod plures dantur species impotentiae (coeundi, generandi, moralis) et etiam quia conceptus canonisticus impotentiae organicae (*impotentia coeundi*) non coincidit cum conceptu impotentiae legum ciuilium, quae generatim potentiam generandi considerant.

Suffragatur utrum placeat dicere «*impotentia coeundi*» necne.

Placet 10; non placet 1.

b. Rev.mus quintus decimus Consultor in suo voto proposuit suppressionem verbi «*antededens*», quia aliquis in secundis nuptiis potest affici potentia psychica, quam nullo modo habuit in primis nuptiis.

Omnibus Consultoribus haec propoſitio non placet.

c. Rev.mi septimus et quartus Consultores proponunt ut supprimantur verba «*sive alteri cognita sive non*», quia habilitas aut inhabilitas inhaeret personae independenter a notitia aut ignorantia alterius partis; ceterum in nullo alio canone de impedimentis talis clausula ponitur.

Exc.mus decimus Consultor admittit matrimonium, stante impotentia, esse nullum obiective et ideo illa verba omitti possent. Attamen considerare oportet quod aliquando verba huiusmodi opportuna sunt veluti ad protectionem legis.

Rev.mus octavus et quartus Consultores censem illa verba opportune servari posse quia non desunt qui admittant matrimonium esse validum quando impotentia alteri parti cognita sit, et plures leges civiles admittunt hoc.

Rev.mus septimus Consultor censet quaestionem profundorem considerationem merere, ut intelligatur num verae sint rationes eorum qui tenent matrimonium esse validum quando impotentia alteri parti cognita sit. Constat enim per saecula in Ecclesia admissa fuisse huiusmodi matrimonia «ad caste vivendum».

Rev.mus octavus Consultor animadvertisit quod suggestio Rev.mi octavi Consultoris supponit solutionem alterius quaestione, nempe num impotentia matrimonium dirimat iure naturae; ideo omnes Consultores concordant ut antea examinetur haec alia quaestio.

AdunatioVI^a
die 14 maii 1970 – mane habita

Utrum impotentia matrimonium iure naturae dirimat necne.

Exc.mus secundus Consultor memorat aliquos recentes auctores, ex. gr. Robilant, qui in dubium revocant impotentiam esse impedimentum iuris naturalis.

Haec sententia, dicit idem Consultor, admitti nequit quia:

a. matrimonium est institutum naturae, inde sua naturali ad proli generationem et educationem ordinatum. Generatio autem fit ordinario modo per unionem sexualem viri et mulieris. Ergo qui impotentes sunt ad actus «per se aptos ad proli generationem» ipso iure naturae vetantur quominus matrimonium contrahant.

b. Vel periculose esset supprimere verba «ipso naturae iure» in can. 1068, quia non obiter codificatores anni 1917 haec verba posuerunt, sed rationes graves habuerunt uti videri potest ex fontibus huius canonis seu ex nota ad calcem a Card. Serédi apposita.

c. Ratio quoque practica prohibet quominus ex hoc canone verba «ipso naturae iure» expungantur. Nam proh dolor a civilistis ius unicum

et exclusivum tantummodo ius positivum agnoscitur. Huius theoriae tristissima consectaria durante bello mundiali nosmetipsi experti sumus. Si Ecclesia ex hoc canone ius naturae supprimeret, sine dubio dici posset quod Ecclesia quoque «conformari intendit huic saeculo».

Exc.mus primus Consultor censet potentiam coeundi requiri iure naturae quia unio sexualis specificat societatem matrimonialem.

Item Exc.mus decimus Consultor et Rev.mi octavus, tertius, sextus, quintus et quartus Consultores censem impotentes contrahere non posse matrimonium iure naturae, quia matrimonium ordinatur ad prolem.

Rev.mus duodecimus Consultor censet impotentiam iure naturae matrimonium dirimere, attamen dicit ipse, cum non desint illi qui de hac re dubitent, expungenda esset ex can. 1068 verba «ipso naturae iure». Theorice loquendo non potest enim absolute excludi quin doctrina ita evolvatur ut legitimum habeatur matrimonium illorum qui intendunt excludere commercium carnale et habere filios per fecundationem artificialem.

Rev.mus septimus Consultor dissentit ab iis quae a Consultoribus prolatas sunt ex eo quod historicamente constat non semper neque communiter admissam fuisse doctrinam de incapacitate eorum qui impotentia laborant contrahendi matrimonium. Impotentes enim ante Innocentium III admissi sunt ab Ecclesia ad contrahendum matrimonium et auctores maximi nominis (S. Thomas, Petrus Lombardus) admiserunt possibilitatem huiusmodi matrimonii. Communiter dicitur legem naturalem inscriptam esse in cordibus hominum, quod secumfert omnes idem sentire circa praecipua postulata juris naturae. Iamvero talis consensus unanimis non habetur circa impotentiam, imo, si etiam extra Ecclesiam inspiciatur, multi sunt illi qui censeant impotentiam coeundi non irritare matrimonium (cf. leges civiles). Videretur quod etiam peritus, qui votum pro nostra Commissione fecit, sit aliquo modo incertus, si locutionem nostri Codicis «ipso naturae iure» emollire vult per verba «ex ipsa natura rei».

Nemo dubitat, concludit idem Consultor, quin matrimonium ordinatum sit ad prolem, sed nimis Consultores premunt hoc argumentum. Haec ratio agendi nos perducere deberet ad irritandum matrimonium quando non adsit verum semen, quando mulier sit excisa etc...; immo etiam quando impotentia supervenit, matrimonium solvi deberet.

Rev.mus nonus Consultor, contra Rev.mum septimum Consultorem arguens, refert alias conclusiones ad quas pervenit occasione alicuius investigationis historicae pro redigendo libro «*Le mariage des vieillards*», et probati auctores. Ex tali investigatione apparet quod, circa quaestionem num lex naturalis exigit capacitatem effectivam perficiendi copulam in

matrimonio, quaedam haesitationes in praxi Ecclesiae et in opinionibus auctorum revera habitae sunt; attamen, decursu saeculorum, mirabilis continuatio et progrediens firmitas habita est in exigenda capacitate ad actus coniugales pro valido matrimonio contrahendo.

Post hanc discussionem fit suffragatio utrum placeat retinere in can. 1068 verba « ipso naturae iure » necne.

Placet 4; non placet 3; placet iuxta modum 5.

Modi:

1. Exc.mus decimus Consultor: loco « ipso » dicatur « etiam ».

Placet 3; non placet 8; abstinet a sententia ferenda 1.

2. Rev.mus tertius Consultor: dicatur « ex ipsa natura matrimonii » loco « ipso naturae iure ».

Placet 6; non placet 6.

3. Rev.mus sextus Consultor: dicatur « ex natura rei » loco « ipso naturae iure ».

Placet 5; non placet 7).

Definita hac quaestione de requisita ex iure naturae capacitate ad actus coniugales pro valido matrimonio, fit suffragatio num placeat delere in can. 1068, § 1 verba « sive alteri cognita sive non »:

Placet 6; non placet 5.

d. Rev.mus quintus Consultor proponit ut in canone praebeatur descrip^{tio} impotentiae per haec verba: « (impotentia) tum viri effundendi naturali modo aliquod semen in vaginam, tum mulieris illud recipiendi in vas naturale aptum... ».

Consultores omnes non approbant hanc propositionem quia talis definitio pertinet ad doctrinam et ad iurisprudentiam.

e. Exc.mus secundus Consultor proponit ut loco « matrimonium... dirimit » dicatur « inhabiles reddit nupturientes ad matrimonium valide contrahendum »; nam non dirimitur quod non existit.

Exc.mi decimus et primus Consultores concordant pro mutando verbo « dirimit » attamen ipsis non placent verba proposita ab Exc.mo secundo Consultore.

Rev.mus quartus Consultor item non approbat verba proposita ab Exc.mo secundo Consultore et censet aptiora esse haec verba: «(qui laborant impotentia) matrimonium valide contrahere nequeunt». Attamen decisio de terminologia acceptanda pendet ex alia decisione, scilicet in quo loco collocandus sit canon de potentia. Si potentia retinenda sit inter impedimenta, terminologia existens servari potest; si vero transferatur ad caput de consensu, tunc alia terminologia invenienda est.

Rev.mus sextus Consultor censet verbum «dirimit» apte servari posse, secus haberetur confusio cum novo can. 1081 bis.

Rev.mi duodecimus, septimus et nonus Consultores censem quaeestionem hanc philologicam esse aliquantulum otiosam.

Suffragatur utrum placeat mutare verbum «dirimit» necne:
Placet 2; non placet 8.

AdunatioVII^a
die 14 maii 1970 – vespere habita

Can. 1068, § 2:

a. Rev.mus septimus Consultor proponit ut § 2 supprimatur quia iam ex regula generali patet omnes posse matrimonium contrahere qui iure non prohibentur (can. 1035).

Exc.mus primis Consultor censet hanc § supprimi non posse quia in hac materia habetur vel haberi potest sive dubium iuris sive dubium facti.

Item plures alii consultores censem quod haec § servanda sit, non obstante can. 1035.

Suffragatur utrum placeat retinere § 2 necne:
Placet 8; non placet 1; abstinet a sententia ferenda 1.

b. Rev.mus Relator quaerit num placeat dicere «Si potentia dubia sit» loco «si impedimentum potentiae dubium sit», prout proposuit quidam peritus in suo voto. Pro nunc, addit Rev.mus Relator, supponitur quod canon de potentia manebit inter canones de impedimentis.

Rev.mus nonus Consultor propositionem approbat ob rationes stili, sed omnes alii Consultores propositionem non approbant.

c. Ad vitandam duplarem iurisprudentiam tribunalium S. Sedis, de qua plura in praecedenti Sessione dicta sunt, proponitur ut aliqua verba

addantur in hac § 2, quibus congruens applicatio principiorum habeatur hoc sensu: id quod ante matrimonium uti impedimentum dubium impotentiae consideratur ideoque uti non impediens matrimonium habetur, idem post coniugium initum uti dubium impedimentum habeatur ideoque vel causa nullitatis non admittatur apud Tribunalia ecclesiastica, vel, si admittitur, definiatur in favorem matrimonii.

Talis finis obtineri posset addendo haec verba: «nec nullum declarandum» (Rev.mus octavus Consultor) vel «post matrimonium vero initum, standum est pro eius valore donec contrarium probetur» (Rev.mus quintus Consultor et Rev.mus peritus).

Pluribus Consultoribus placet propositio huiusmodi additionis. Exc.mus secundus Consultor et Rev.mi sextus et septimus Consultores censem additionem esse inutilem, cum iam adsit can. 1014, qui applicari debet etiam in hac materia. Rev.mus Relator agnoscit additionem hanc iuridice nihil operari, stante principio generali can. 1014. Attamen legislator per hanc additionem sublinearet obligationem applicandi idem criterium ante et post matrimonium in aestimando impedimento impotentiae uti dubio.

Suffragatur utrum placeat haec additio necne: «...post matrimonium vero initum, standum est pro eius valore, donec contrarium probetur»:

Placet 2; non placet 6; placet iuxta modum 2; abstinet a sententia ferenda 1.

Modi:

1. Rev.mus Relator proponit ut integra § 2 ita reformatetur: «Matrimonia quae in dubio de impedimento impotentiae licite contracta fuerint, stante eodem dubio, invalida ne declarentur».

Propositio non placet.

2. Exc.mus primus Consultor proponit ut servetur formula prout est in CIC, cum hac additione: «nec, stante dubio, nullum declarandum».

Suffragatur propositio Exc.mi primi Consultoris:
Placet 8; non placet 1; placet iuxta modum 1.

Modus:

dicitur «nec, iam contractum, stante dubio, nullum declarandum»:
Placet 2; non placet 8.

AdunatioVIII^a
die 15 maii 1970 – mane habita

Can. 1068, § 3 (de sterilitate):

Circa hanc § sequentes animadversiones habentur:

a. Rev.mus octavus Consultor proponit novam formulam: « Steriles matrimonium contrahi possunt ideoque eorum coniugium non est impe-diendum nec nullum declarandum ». Propositio non placet.

b. Exc.mus secundus Consultor proponit ut in formula CIC fiat haec additio: « Sterilitas, *ex quacumque causa proveniens*, matrimonium etc... ».

Ratio est ut tollatur diversitas seu discrepantia inter diversos auctores de aestimatione sterilitatis. Sterilitas enim secundum causas, ex quibus ori-tur, duplicis generis esse potest: 1) sterilitas cum materia, ex.gr. mulier excisa et vasectomati certo steriles sunt et causa concreta huius sterilitatis de-signari potest; 2) sterilitas sine materia, scilicet quando eiusdem causa concreta seu phyica designari non potest. Duo sunt casus:

1. vir et mulier omnia organa necessaria ad generationem habent, et revera coire possunt, tamen ob rationes occultas, proles ex ipsis numquam sperari potest:

2. mulieres, post menopausam item steriles sunt.

Iamvero cum variae secundum auctores dentur aestimationes sterilitatis, opportuna esset proposita additio « *ex quacumque causa proveniens* ».

Rev.mus tertius Consultor consentit cum Exc.mo secundo Consultore sed alii Consultores censem additionem non esse necessariam.

c. Rev.mus Secretarius et Rev.mus tertius Consultor notant hanc § 3 de sterilitate superfluam prorsus evadere, cum in § 1 expresse sermo sit de « *impotentia coeundi* ».

Exc.mus decimus Consultor dicit quod § 3 supprimi posset si sterilitas coincideret omnino cum *impotentia generandi*, sed *impotentia generandi* latius patet quam sterilitas, cum comprehendat etiam casus eiaculationis seiunctae. Dantur scilicet casus in quibus habetur erectio et penetratio, non autem seminatio et hoc vel ob defectum vel ex positiva voluntate, ad tempus vel in perpetuum. In istis casibus habetur matrimonium ratum, at non consummatum.

Suffragatur utrum placeat supprimere § 3 necne:

Placet 5; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

d. Rev.mus quartus Consultor notat quod secundum novam terminologiam inductam in can. 1036, § 1, etiam in praesenti canone adhibendum est verbum « prohibet » loco « impedit ».

Propositio omnibus placet.

e. Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur « ...nec prohibet nec dirimit », loco « nec dirimit nec prohibet »:

Placet 9; non placet 2.

f. Rev.mus septimus Consultor proponit ut § 3 ita compleatur: « Sterilitas matrimonium nec prohibet nec dirimit, *salvo praescripto can. 1083 bis* » (de dolo). Sterilitas enim certo certius est qualitas quae « nata est ad consortium vitae coniugalnis graviter perturbandum » et ideo dolus de sterilitate nullum facit matrimonium. Per propositam additionem in hoc canone exemplum praeberetur causae sufficientis ad matrimonium nullum ex dolo declarandum.

Consentit Rev.mus nonus Consultor, qui censet vasectomiam et alias infirmitates organicas, sive viri sive mulieris, quae absolute generationem, non autem potentiam coeundi excludunt, considerandas esse ut qualitates de quibus in can. 1083 bis.

Exc.mus primus Consultor item consentit circa hanc additionem ob rationes pastorales. Nostris enim temporibus in dies decrescit aestimatio boni prolis, quare opportuna est salvatio qua protegitur a dolo legitimum desiderium quod quis habere potest circa prolem.

Rev.mus duodecimus Consultor censet quod vi huius clausulae tenor legis esset ita: « Sterilitas non est impedimentum nisi in casu de quo in can. 1083 bis ».

Rev.mus Secretarius negat legitimitatem conclusionis Rev.mi duodecimi Consultoris et asserit per illam salvationem deduci tantum posse quod nullitas matrimonii provenire potest ex vitio consensus ob dolum circa sterilitatem.

Rev.mus quartus Consultor, attenta obiectione Rev.mi duodecimi Consultoris, proponit ut clausula ita mutetur: « ...nisi forte ex can. 1083 bis ».

Suffragatur utrum placeat clausula « salvo praescripto can. 1083 bis » necne:

Placet 8; non placet 2; placet iuxta modum 1.

Modus:

dicatur « firmo praescripto » loco « salvo praescripto ».

Placet 9; non placet 2.

Cum ex plurimorum Consultorum suffragio addita sit talis clausula,
denuo suffragatur num placeat supprimere § 3 de sterilitate:

Placet 2; non placet 9.

g. Rev.mus quartus Consultor proponit ut ordo §§ 2 et 3 invertatur,
ita ut prius de impedimento ipso existente vel non existente, deinde de im-
pedimento dubio agatur.

Propositio non placet.

Adunatio IX^a
die 15 maii 1970 – vespere habita

Rev.mus Relator refert de propositione Rev.mi periti ut transferatur
can. 1068 ad caput de consensu matrimoniali. Impotentia enim non est.
impedimentum proprie tale, id est lex inhabilitans personam de se capa-
cem matrimonii ineundi, sed est incapacitas praestandi obiectum consen-
sus matrimonialis. Ideo canon de potentia recte posset inseri statim post
can. 1081, ubi obiectum consensus definitur.

Plures Consultores dicunt potentiam esse aliquid obiectivum, enti-
tative existens, et proinde melius esse illam inserere inter impedimenta,
quam in canonibus de consensu (Exc.mi decimus et secundus Consultores
et Rev.mi quartus, septimus, et duodecimus Consultores).

Rev.mus nonus Consultor animadvertisit quod tota res pendet a criteriis
systematizationis. Si consideretur natura ipsa consensus, dicendum est
quod est actus facultatum spiritualium, id est intellectus et voluntatis. Sub
hoc aspectu poni debent sub capite consensus tantum ea quae directe ad
exercitium illarum facultatum pertinent (canones de scientia minima, de
simulatione, de metu, de dolo, de errore, etc.).

Impotentia autem non se refert directe ad exercitium facultatum spiri-
tualium; est deficientia personalis ordinis physici, quae non influit directe
in ipsum exercitium facultatum. Hoc verificatur etiam in casu potentiae
functionalis: persona est incapax propter infirmitatem physicam, etsi causa
huius infirmitatis sit ordinis psychici. Proinde melius est si de potentia
sermo sit in capite de impedimentis.

Exc.mus primus Consultor vero praefert propositionem Rev.mi quarti
decimi Consultoris ob rationem ab eodem Consultore adductam et ob af-
finitatem materiae cum can. 1081 bis de morbis psychicis.

Rev.mi tertius et sextus Consultores approbant propositionem Rev.mi
quarti decimi Consultoris, attamen volunt ut mutetur inscriptio capitis de
consensu, quae ita sonare posset: «de matrimonio utpote contractu»

(Rev.mus tertius Consultor) vel «de obiecto consensus matrimonialis» (Rev.mus sextus Consultor).

Rev.mus Relator censet quaestionem demandari posse, si forte generalis quaestio de ordine systematico totius libri de matrimonio habebitur. Pro nunc vero transferri posset ad can. 1068 nova norma de anomaliis psychosexualibus (can. 1081 bis, n. 3), et hoc sive ob affinitatem materiae et sive ad vitandas graviores difficultates technicas quae in propositione Rev.mi quarti decimi Consultoris prostant.

Rev.mi quintus et quartus Consultores proponunt ut canones maneat ubi sunt et n. 3 can. 1081 bis sit canon autonomus 1081 ter.

Deinde sequentes suffragationes habentur:

1. utrum placeat relinquere canonem de impotentia ubi nunc est necne:
Placet omnibus.

2. utrum placeat ut n. 3 can. 1081 bis fiat canon autonomus necne:
Placet 8; non placet 2.

3. num placeat ut hic novus canon sit can. 1081 ter:
Placet 7; non placet 2; abstinent a sententia ferenda 1.

Rev.mus Secretarius ita proponit redactionem can. 1081 ter: «sunt incapaces matrimonii contrahendi qui ob gravem anomaliam psychosexualem obligationes matrimonii essentiales assumere nequeunt».

Placet 6; non placet 3; placet iuxta modum 1.

Modus:

dicatur «Non valent matrimonium contrahere qui...» (Exc.mus decimus Consultor)

Placet 4; non placet 4; abstinent a sententia ferenda 2.

Ultimo proponitur quaestio de criteriis generalibus pro recognoscenda forma canonica celebrationis matrimonii. Attamen, cum tempus deficiat, tantum aliqua puncta brevissime delibantur.

Rev.mus Relator dicit opiniones praevalentes Consultorum, in suis votis expressas, convenire circa haec tria:

- a. etiam in novo Codice forma canonica praecipi debet ad validitatem;
- b. facultas delegandi ampliari debet;

c. facultas propria Episcopi dispensandi a forma canonica item ampliari debet.

Consultores in aliqua brevi discussione haec criteria approbant et, iuxta ea, vota parabunt pro revisione canonum.

APPENDIX
CANONES APPROBATI

Can. 1068

§ 1. Impotentia coeundi antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive absoluta sive relativa matrimonium ipso iure naturae (ex ipsa natura matrimonii)¹ dirimit.

§ 2. Si impedimentum potentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum, nec, stante dubio, nullum declarandum.

§ 3. Sterilitas matrimonium nec prohibet nec dirimit, firmo praescripto can. 1083 bis.

Can. 1081 bis

Sunt incapaces matrimonii contrahendi:

1° qui mentis morbo aut gravi perturbatione (animi)² afficiuntur ita ut matrimoniale consensum, utpote rationis usu carentes, elicere nequeant;

2° qui laborant gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia mutuo tradenda et acceptanda.

Can. 1081 ter

Sunt incapaces matrimonii contrahendi qui ob gravem anomaliam psychossexualem obligationes matrimonii essentiales assumere nequeunt.

¹ De verbis «ex ipsa natura matrimonii» loco «ipso iure naturae» hic fuit exitus suffragationis: Placet 6; non placet 6.

² De addendo verbo «animi» exitus suffragationis hic fuit: Placet 6; non placet 6.

